



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XLI. Quod Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, &
Moniales Capuccinæ, cujuslibet mensis die non impedita Officium S. Claræ
recitare valeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

nodata existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, & hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prepositorum qui rem mature perpendere consilio, Indultum recitandi officium, & horas Canonicas, ac celebrandi Missam de dicto Beato Gundisalvo, tanquam de Sancto Confessore non Pontifice concessum, ut prefertur ad universum Ordinem, tam Fratrum, quam Monialium Sancti Domini, modo, & forma premissis auctoritate Apostolica tenore presentium extendimus, & ampliamus.

Contrariis derogat.

Transumptum fides.

Dat. P. A. 2. die 10. Julii.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem presentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud habeatur, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Julii 1671. Pontificatus nostri anno secundo.

XLI.

Quod Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, & Moniales Capuccinae, cuiuslibet mensis die non impedita Officium S. Clarae recitare valeant.

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX inuncto Nobis divinitus Apostolicae feruitutis officio pia Christifidelium, illorum praesertim, qui Altissimi obsequiis sub suavi ardentioris Religionis iugo mancipati, bonoque Christi odore de bona conversatione fragrantibus uberibus bonorum operum fructus in Ecclesia Dei aspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagunt, vota ad augendam in terris caelestis regni incolarum venerationem tendentia libenter exaudimus, illaque favoribus, & gratis prosequimur opportunis.

Supplicatio.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, tam Fratres dicti Ordinis, quam Moniales Capuccinae nuncupatae pro singulari eorum erga Sanctam Claram devotionis affectu Officium de illa singulis mensibus recitare plurimum desiderent.

Concedit ut in rubrica.

§. 2. Nos piis eorum votis favorabilem assensum hac in re praebere volentes, dictumque Ministrum Generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis tam Fratribus, quam Monialibus praedictis, ut officium de eadem Sancta Clara singulis mensibus aliqua die non impedita officio novem Lectionum, sub ritu semiduplici recitare, liberè, & licite possint, & valeant, Auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos, & quas spectat, & pro

tempore quocumque spectabit in omnibus, & per omnia, plenissime suffragari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum presentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, in iudicio, & extra illud, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Dat. P. A. 2. die 20. Julii.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XLII.

Quod electiones Priorum, Subpriorum, Sacristarum, & Procuratorum Ordinis B. M. de Monte Carmelo a Communitatibus Conventuum Provinciarum in Brevi expressarum non fiant, sed in Definitoriis Capitulum Provinciarum, earumdemque electionum abrogationes a Priore Generali approbari debere statuit.

Dilecto filio Mattheo Orlando Priori Generali Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Edita An. D. 1671.

Cum, sicut Nobis nuper exponi fecisti, septem Provinciae Ultramontanae tui Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo, nempe Germaniae inferioris, Aquitaniae, Provinciae, Tolosae, Germaniae Superioris, Vasconiae, & Flandro-Belgicae, ut factionibus, aliisque malis, quae ex electionibus Priorum, per Communitates Conventuum fieri solitis, in detrimentum observantiae regularis, ac salutis animarum, & religiosae quietis promanabant, occurrerent, easdem electiones abrogaverint, easque in Definitoria earundem Provinciarum respectively transfulerint; Tu vero etiam Subpriorum, ac Sacristarum, & Procuratorum singulorum Conventuum Provinciarum hujusmodi electiones abrogari eorundem Conventuum quieti, & regulari observantiae conducibile fore existimes: Per Constitutiones autem Ordinis praefati a fel. rec. Urbano VIII. & Innocentio X. Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris confirmatas, pro Provinciis Reformatis ordinatum reperiat, ut hujusmodi electiones Priorum, Subpriorum, Sacristarum, & Procuratorum a Communitatibus Conventuum fiant. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

Motiva.

§. 1. Nos igitur votis tuis, ad promovendum regularis observantiae, religiosaeque tranquillitatis bonum laudabiliter tendentibus, favorabiliter annuere volentes, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi abrogationes electionum Priorum a memoratis septem Pro-

Concedit ut in rubrica.